DE APOSTOLICA S. PETRI CATHEDRA ORATIO

Habita in Sacrosancta Principis Apostolorum Basilica

AD SANCTISSIMUM D. N.

BENEDICTUM XIII.

PONT. OPT. MAX.

A COSMO BERNARDINI LUCENSI.



ROMÆ MDCCXXIX.

Ex Typographia Hieronymi Mainardi In Platea Montis Citatorii.

SUPERIORUM PERMISSU.

Sanctissimo Domino Nostro

BENEDICTO XIII.

PONT. MAX.

COSMUS BERRNADINI
FELICITATEM.

E*Rubescerem sanè, Beatissime Pater, cum hac tenui, nullisque ornamentis ex-*

culta Oratione ad Thronum Tuæ Majestatis accedere, nisi humanitas illa singularis, qua me primò ad Sanctissimos Pedes Tuos provolutum excepisti, animum addidisset, hæsitantemque confirmasset. Tantam enim in Te Benignitatem, tantamque sermonis affabilitatem expertus sum, ut neminem unquam Te feliciùs amorem cum Pontificia Majestate conjunxisse crediderim. Impulit quoque me Tuo dignum Nomine,

de Romana scilicet Cathedra, argumentum; quod ad Te unum jure suo pertinere omnes intelligunt. Nam super Cathedram Petri *Tu ipse tanquam Aaron a Deo vocatus, & vel* Hebr. 5. 4 *reluctans ex hominibus assumptus,* Hebr. 5. 1 *æterna Dei dispositione, Ecclesiæ suæ gubernandæ donatus es, ut ad Apostolicæ Dignitatis auctoritatem, & decus alia plura disponeres. Te itaque in eadem Romana Cathedra Sedentem Deus quamdiutissimè ser-*

vet incolumem, Tibique in ea ad Ecclesiæ bonum omnia fau-sta felicia, & gloriosa con-cedat.

ORA-



ORATIO.

ROmanam Apoſtolorum Principis Cathedram, Beatiſsime Pater, cujus hodiè ſolemnitas anniverſaria gratulatione celebratur, tot decora exornant, tot prærogativæ commendant, ut in iis non modo pro dignitate tractandis, verum etiam ſummatim

tim

tim percurrendis omne fatigetur ingenium, atque omne pene deficiat eloquium. Neque vero tam admirabilis præstantiæ magnitudinem procul, & de ultimis finibus repetere necesse habemus, cum eam, domi ut ita dicam, intueri possimus, nimirum in Sacris Voluminibus, quæ orthodoxæ Religionis firmissima sunt fundamenta. Ac primo quidem luculentissima illa sese offerunt verba, quibus Unigenitus Dei Filius volens in terris Ecclesiæ

Matth. 16. 18. Suæ visibile caput designare: *Tu*, inquit, *es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*; Cujus præclarissimi eloquii amplitudinem Doctor Angelicus defixa animi contemplatione perpendens, Romanæ Cathedræ majestatem ita mirum in modum ex Hi-

D. Th. in opus. aur. super 4. Ev. lario describit: *Est autem in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiæ fun-*

damentum, dignaque ædificatione illius Petra, quæ infernales Leges, Tartari Portas, & omnia mortis claustra dissolveret; quamobrem Ipse Dei Filius ad ostendendam firmitatem Ecclesiæ Suæ supra Petram fundatæ constanter asseruit: *& Portę Inferi non pręvalebunt adversus eam*. Matth. 16. 18.

Verum ad uberiorem inconcussæ hujus veritatis cognitionem juvat ex sacratissima veteris Testamenti caligine novam lucem accersere. Prodeat ergo in medium Evangelicus Propheta Isaias, ac de Romana Cathedra, ut non ignobiles Sacrarum Literarum Interpretes autumant, tanquam de secundaria Petra Divinum illud Oraculum prophetica voce pronunciet: *Ecce pono in Sion Lapidem Summum, Angularem, Electum, Probatum, Pretiosum, & qui credide-* Epist. 1. D. Petr. C. 2. V. 6. ad. Isa. 28. 16.

rit

rit in eum non confundetur. Etenim quid eſt aliud Lapis poſitus in Sion, niſi Petri Cathedra in Urbe collocata, que Metropolis honorem in toto orbe conſecuta eſt, quemadmodum Hieroſolima Moſaici Populi, ac Sinagogæ Metropolis habebatur? An non lapis iſte ſummus eſt auctoritate, ac poteſtate, cum principem ſibi locum in omnes alias Sedes, atque in totum Chriſti gregem adſciſcat? Nonne eſt angularis cum Gentes, atque Judæos ita connectat, atque ſuſtentet, ut quot quot ex utraque Secta vocati ſunt in admirabile lumen Fidei ad unum Ovilis Chriſti Paſtorem confugiat? Satis vero, & abunde Lapis Electus apparet ob Sanctitatem, quæ ſi unquam aliàs in hac Sede, hoc profecto tempore omni virtutum genere elucet. Probatus au-

tem

tem atque Pretiosus jure meritoque appellatur, cum assiduis exagitata tempestatibus nunquam demersa Petri Navis omnium fluctuum victrix tandem evaserit, ac Deo per septemdecim hactenus Secula fuerit Cathedra hæc singulari studio, ac providentia custodita: *hinc qui credit in eum non confundetur*: illi enim, qui huic Lapidi per veram Fidei unitatem adhæret, non confusionis inuritur nota, atque dedecus, sed summam profecto laudem, & gloriam immortalem ex unanimi orthodoxorum consensu reportat; ut nuperrime contigit iis, qui Sanctissimæ hujus Sedis Oracula fideli sinceritate, ac simplicitate complexi sunt.

Tantarum itaque dignitatum Apostolicæ Catedræ memores pareamus Isaiæ monenti: *attendite ad Petram unde* Isa. 51. 1.

exci-

excisi estis: attendamus scilicet ad Petrum, ejusque Successorem, ut corde, atque ore profiteamur quidquid nos edocet verbo, utque opere, ac veritate impleamus quidquid nobis insinuat exemplo.

